



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. cliiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

cultè faciunt, bonum mihi videtur, vt secundum id quod sibi decretum fuerit ab episcopo, siue presbytero, pœnitentiam agant, non trepidè, nec tardè, sed feruenter & sollicitè, ac sic se veniam peccatorum à domino percepturos, & gradum se retenturos confidant.

De illa fœmina quæ menstruosum suum sanguinem, & semen viri sui, & testam hominis cõbuserit, & hæc omnia viro suo ad potandũ dederit. Cap. CLII.

DE his etiam super quibus interrogasti, hoc est, de illa fœmina, quæ menstruum suum sanguinem immiscuit cibo vel potui, & dedit viro suo vt comederet, & de illa quæ semen viri sui in potu bibit, & de ea quæ testam hominis combussit igni, & viro suo dedit pro infirmitate vitanda, quali pœnitentia sint plectendæ, vt nobis videtur tali sententia sunt feriendæ, sicut magi & arioli: quia magicam artem exercuisse noscuntur. Nam de his qui magicam artem exercuisse noscuntur, & qui auguria attendunt, & diuinationes obseruant, Theodori archiepiscopi gentis Anglorum constitutiones habemus, in quibus scriptum est: *Qui immolat dæmoniis in minimis, vno anno pœniteat, qui verò in magnis, decem annos pœniteat.*

Ex eodẽ cap. 17.

Vt nullus alius præsumat pœnitentiam dare, vel confessionem audire, nisi episcopus aut presbyter.

Caput CLIII.

Sicut enim sacrificium offerre nõ debent nisi episcopi & presbyteri, quibus clauis regni cœlestis traditæ sunt: sic nec pœnitentium iudicia alij vsurpare debent.

Ex pœnitentiali Romano.

De eadem re. Cap. CLIII.

Si autem necessitas euenerit, & presbyter nõ fuerit præsens, diaconus suscipiat pœnitentem ad sanctam communionem.

Ex eodẽ.

De temporibus quibus se continere debent coniugati ab vxoribus. Cap. CLV.

In tribus quadragesimis anni, & in die dominico, & in quarta feria, & in sexta feria, coniugales continere se debent, nec illis diebus copulari, quàm diu grauata fuerit vxor, id est, à quo die filius in vtero motum fecerit, vsque ad partum, à partu post, XXXIII. dies si filius est, si autem filia, post LVI.

Ex cõcil. Elibertã.